CYLLENES FACUNDUS. HOC EST, PROBLEMA PHILOSOPHICUM, DE LYCANTHROPIS, AN...

Adam Weinheimer

MVSARVM,

Aut Artium, aut Virtutum Patronis & Fautoribus,

Nobil. Ampliß. Consultiß. Experientiß.

Dn. Henrico à Gültch.
Dn. Marco Pensin.
Dn. Adamo Gerner.

Illis *I. V. D. Cameræq́ Imperialis Advocatis, celeberrimis*: Huic *Med. D. & Pract. Spir. dexter. felicissimo.*

Hunc boni affectûs Cippum officiosâ manu posuit

Exercitij hujus Oratorij

DIRECTOR.

M. Adamus VVeinheimerus,

Gissâ-Hassus, Gymnasii Spirensis Rector, Lecturis, S. P. D,

DUabus rebus, omnium rectè sentientium judicio, pervenitur ad fastigium honoris; aut Arte, *aut* Marte. *Hæc duo sunt, quæ* Eloquentiæ *operâ non mediocriter indigent. Seu enim Militiam spectes,* Eloquentia *inter undecim boni* Imperatoris *conditiones præcipua est,* (Onelander lib. 2. de Imp.) *ad excitandos militum animos, ut non modò non detrectent prælium, sed ultrò signum pugnæ postulent, nullosq; pertimescant ictus, pericula nulla Atq; hanc ob causam perspicax ille* cœcus Vatum Parens Eloquentiam in Ducibus *tantoperè commendat,* Menelai *suavitatem:* Nestoris *flumen melleum,* Ulyssis *vim & gravitatem; Nec mirum: fluebat enim ex ore illorum largus* Eloquentiæ *fons, qui animos militum, in quamcunq; partem rapere poterat. Nec minùs ferebant fulmen in ore, quàm in dextera: breviter, ùt amor insidebat in illorum oculis, ita* Mars *in manibus,* Suada *verò in labris.*

Tantum splendoris attulit hæc industria dicendi, ut rari essent Imperatores, Eloquentiæ civilis *ignari:* Civilem *dico: ad excludendum genus dicendi affectatum,* Civilem, *dico, sed magnam, vehementem, excelsam, optimi ingenij viribus incitatam, quotidianaq; disertorum consuetudine expolitam. Seu doctrinam, &* Artes *consideres, præsertim in Cōcionatoribus & Iuris peritis (quorum splendor inter literatos maximus)* Eloquentia *est ingens ornamentū. Intuemini* Eloquentiam S. S. Patrum, *qui omnem veterum opulen-*

 tiam,

tiam, quà ipsi per injuriam abusi fuerant, in sacros usus congerebant, & cōtrito Mogoris *idolo, ex ejus auro coronam, magnis praterea, & lucentibus gemmis illuminatam, comparabant. Pectora eorum indomitos Regina* Eloquentiæ *spiritus alebant. Lingua eorum in* Spiritus sancti *officina procudebantur; Ora eorum, aeterni* Dei *canales, caleste nectar in omnium gentium aures latissimè, diffundebant: Ecquid mascula* Athanasii Eloquentia *robustiùs, qua* Imperatorum *furias, & frementis in se penè totius Mundi pondus excepit, sustinuit, profligavit? Qualis & quantus* Gregorius *ille* Nazianzenus, *qui quasi* Deus *fulminans, tonat è machina? quàm acer, quàm velox, quàm gravis, & ubiq; sui similis, ubi* Apostatam Cæsarem *aeterno mactat supplicio. Quis* Basilio *sanctior & eloquentior? cujus vim dicendi admiratus est, summus, qui tunc inter* Ethnicos *ferebatur,* Eloquentiæ *Magister* Libanius. Libanium *dico, à* Basilio *religione disjunctum, & Christianis palmis infensum. Quo nomine appellem, os aureum* Chrysostomum, *nisi Theatrum quoddam solidæ* Eloquentiæ, *in quo Deus abundè videri voluit, quid posset vita sanctitas cum vi dicendi conjunctâ. Hujus suavitatem* Antiocheni *admirati sunt, Majestatem* Byzantini *suspexerunt, vim* Principes *timuerunt, acumen omnis seculorum coluit & colit memoria. Quid de* Gregorio Nysseno, *quid de* Cæsario *dicam? annon & ipsi aureum orationis flumen fundunt? Quid de* Ephrem Syro, *qui quasi fax ardens omnium animos incendit, atq; inflammat; quid de* Clemente Alexandrino, Cyrillo, Theodoreto *addam? Inter eloquentes summè docti, inter doctos summè eloquentes fuerunt.* Gregorium Thaumaturgum *contemplamini; insignis ille miraculorum Artifex, styli habet admirabilitatem. Vnus* Synesius *nobis* Platonem, Demosthenem, Pindarum, *Christiano ore loquentes, dedit.* Hilarii *sunt ingentes Spiritus, Dei, ùt apparet viribus incitati. At illi suo sanguine purpurati* Oratores, Justinus & Cyprianus, *tantum praestare feruntur, cateris hominibus dicendo, quantum homines ipsi brutis animantibus antecellunt.*

Non

Non minor his omnibus fuit Ambrosius, *qui totus videtur nectare & ambrosiâ nutritus. Is tam suaves, tam argutas plerunq; habet orationis delicias, ut apes, quæ infantuli cunas, & os circumsederunt, credas adhuc in labellis eius sessitare.* Augustinus *ad pugnam aptior, quàm ad pompam, vehemens, acer, subtilis, non puerilis & verbosæ facundiæ, sed cælestis* Eloquentiæ *torrens, domum Dei fæcundis doctrinæ rivis exhilarans, adversariorum propugnacula proterit, atq; demolitur.* Hieronymus *in omni* Eloquentiæ *genere summus artifex, quas styli divitias habet? quæ lumina? quos aculeos? Dubitas, doctumne magis ac eloquentem debeas appellare! In* Leonis *labris sedet maiestas. Vis & impetus* Salvianum *stipant, quasi satellites.* Boëtii Severini *ingenium, eruditio, ars, sapientia provocat omnes authores: illi neq; densitas sententiarum* Venerem, *neque acumen abstulit candorem. Taceo* Gregorium Magnum, Bernhardum, Origenem, Tertullianum, Arnobium, Lactantium, *qui inauditis* Eloquentiæ *hastis & lacertis adversariorum castra fulminant, summâq; dictionis felicitate præditi sunt. O fortunata* Eloquentiæ *sidera! nec vos dispicio, nec judico, nec laudo: sed magis imposito labris digito, veneror.*

De Juris-peritis *quod attinet dicere, provoco ad Tribunalia, ad Iudicia, ad Canones & Decreta, & quicquid nomine* Juris Civilis *venit. Et penè eò inducor, ut credam, Linguæ* Romanæ *jacturã, vel ex solis* Digestis *restitui posse. De cætero Literatorũ Choro nihil attinet dicere, norunt omnes, quantum in* Eloquentia *præsidii situm, atque collocatum habeant. Seu tamen per antiqua retrò secula mecum ire vultis:* Homerum *producam, à quo origo plenioris* Eloquentiæ, *quiq; omnis doctrinæ, addo cum* Iustiniano Imperatore, *omnis virtutis Pater, & ut* Antipater, Sidonius, *eum nuncupat, non modò* Poëta, *sed* Orator; *non* Orator *tantùm, sed* Suadæ *medulla, nec* Suadæ *medulla modò, sed* Suada *ipsa mundi, & magnum os fuit, ex quo ad ejus statuam æream, apis, in ore* Vatis *mellificans cernitur. Quid* Solon? *Apparet in eo ingenium acre, velox, excelsum, quod*

Eloquentiæ *gravioris sedes est mens sincera, & victor animus: contrà quem hoc calamitates possunt, quod adversus solem nebula. Prodeat* SOLONIS *æmulus* Pisistratus, *qui tantum dicendo valuisse fertur, ut* Athenienses *illi* Regium Imperium, *oratione capti, permitterent. Accedat* Themistocles, *cujus ingenium totum ad oratoria decora natum, eaq́ gessit, quæ orbi terrarũ stupori fuerunt. Examinetur* Herodotus, *qui totus est dulcis, candidus, fusus, sine ullis salebris, quasi sedatus amnis fluens, cujus* Historia, *propter suadelam illam, & venustatem optima* Poësi *similis potest videri. Displiceant huic rosa, & balsama, cui non placet* Herodotus. *Invisatur* Pericles; *cælestis ei cognomen admirabilis* Eloquentia *fecit: fulmen enim ferre dicebatur in lingua, adeo in omnibus concionibus tonabat, fulminabat, & permiscebat omnia. Quanti* Thucydidem *fecerit posteritas, gravissimorum virorum judicia declarant; Consurge altius*, Eloquentia; Platonem *video, qui dicendi Maiestate assurrexit, supra id omne, quod humanum est. Is est, in cuius ore cecinerunt luscinia, sessitavit* Suada. *Parum illud est.* Jupiter, *si græcè loqui voluisset*, Platonis *ore loquutus fuisset. Consurge altiùs* Eloquentia, Aristoteles *astat, vir singularis, & propè divino præditus ingenio, qui dicendi rationem cum disserendi Philosophandiq́; subtilitate coniungens, quid præstiterit*, Rhetorici *libri felicissimi ingenij monumenta, declarant. Consurge altiùs*, Eloquentia, *decem* Rhetores, Antiphon, Andocides, Lysias, Isocrates, Isæus, Æschines, Lycurgus, Demosthenes, Hyperides, Dinarchus, *inspiciendi sunt. Viri Qui, & quanti?* Rhetores *dixi, omnia dixi. Quid inquiris? Hos nemo satis laudârit, nisi qui Musam eorum in ore habuerit. Hos qui ignorat, an sole collustretur mundus, ignorat. Consurge altiùs*, Eloquentia, Xenophontem *intueor. Quis ille? magnus Bellator, præstans* Historicus, *suavis* Orator, *non ignavâ* Philosophus *operâ.* Theophrastum *recolo, cui nomen dedit loquendi divinitas? cùm antea* Tyrtamus *vocaretur. Hic in* Aristotelis *sinu educatus, ingenio acri, veloci & planè igneo, ad eam gloriam effloruit,*

ruit, ut non sine causa à Cicerone *Philosophorũ eruditissimus, & elegantissimus appellatus, ad duo Auditorum millia habuerit.* Demetrium Phalereum *revoco, cui, quot anni currunt dies, tot sunt erecta statua: Fuit enim vir politissimi ingenij, qui Rem publicam* Atheniensem *magnâ inprimis gloriâ administravit. Sed quid* Atticos Oratores *commemoro? Quare* latinæ Eloquentiæ *cuñas non inviso. Principium teneat, si non principatum* L. Junius Brutus, *Cujus aut celebritatem ingenij, aut vim dicendi magnifacit* Tullius *in* Bruto. *Alteram ab illo laudem habeat* Menenius Agrippa, *cujus ipso horrore veneranda extitit facundia, quiq; dicendo sanavit discordias. Hunc excipiant,* Appius Claudius, Juris, *ille, ac* Eloquentię, Cõsultus: M. Cornelius Cethegus, *flos delibatus populi,* Suadæq; *medulla:* M. Cato Senior, *plusquam eloquentissimus, & quovis eloquentissimo eloquentior.* Cajus Lœlius, *vir omni* Eloquentiæ *elogio superior:* P. Scipio Africanus, *ad cujus* Eloquentiam *ad miraculũ usq; Majestas accessit; namq; hostis iram admiratione sui placavit: spectando præsentia sua latronũ gestientes oculos obstupefecit.* Servius Galba, *in dicẽdo mirabilis;* Curio *Orator illustris.* Tiberius Gracchus, *sedatus & mitis, in miseratione excitanda summus artifex.* C. Gracchus, *præstantissimus ingenio, flagrantissimus studio, juxta quem cæteri* Oratores *pueri videbantur.* Quintus Catulus, *qui adeo purus erat, ut latinè loqui penè solus videretur, sic autem gravis, ut in singulari dignitate omnis tamen adesset humanitas.* Marcus Antonius, *qui adeo paratus fuit ad dicendum, ut Iudices, illo dicente, nonnunquam viderentur non satis parati ad cavendum.* Marcus Crassus, Eloquentium *jurisperitissimus.* Qu. Scævola, Iurisperitorum *eloquentissimus.* Servitius Sulpitius, *qui maluit* Jurisperitorum *esse primus, quàm* Oratorum *secundus.* Hortensius, *de quo nescias, utrum cupidiùs ad audiendum eum, an ad spectandum concurreretur.* Pompejus, *vir ad omnia summa natus.* M. Callidius Orator *non unus è multis sed inter multos propè singularis.* Julius Cæsar, *qui vir, si foro vacâsset, eodem vigore dixisset*

xisset, quo bellavit. Crispus Sallustius, *admirandus magis quàm judicandus.* Florus, *verè floridus, qui plus habet palestra declamatoriæ, quàm virium & lacertorum.* Quintus Curtius, Titus Livius, *alii; De quorum* Eloquentia *quid loqui, quid sentire, quid judicare debeam, dubito. Vos ipsi tantum animo concipite, quantum & de his; & de aliis, per ingenii mei pauperpatem eloqui non possum. Sed ecce! in manibus,* Marcus Tullius Cicero! *Manibus data lilia plenis; jam enim quo progrediatur stylus, non habet. Hic dono quodam providentiæ genitus, in quo totas vires suas* Eloquentia *experietur. Vir de quo dubites, an ipse totus ex* Eloquentia, *an ex ipso tota* Eloquentia *sit confecta. Miramur in unum Majestatem* Platonis, *suavitatem* Isocratis, *vim* Demosthenis, *subtilitatem* Lysiæ, Hyperidis *venustatem,* Theophrasti *elegantias,* Demetrii *myrothecia, coaluisse. At at, in uno* Tullio *amœnâ orationis varietate, omnes* Rhetorum *colores, omnes ingeniorum virtutes, omnes Elegantiarum delicia, ad certamen usq; luxuriant. Vnus, omnia diffusa per tot Oratores ornamenta, complexus est. Tot sunt in eo virtutes, quot genera* Eloquentiæ, *quot dicta, tot purpura, quot verba, tot flores. Hic igitur certissimus dux ad* Eloquentiam *esse potest, quem adeò adolescentûm mentibus instillari quàm studiosissimè oportet. Attamen iniquè censent, qui cæteros Latinitatis authores eosq; egregios, quasi numeros censent, & de republica literaria deturbandos. Quasi verò crimen esset læsæ Majestatis Oratoriæ, dicere aliquid, quod non est ex* Cicerone *petitum.* **Alles was im** Cicerone **stehet / ist gut Latein; aber nicht alles Latein stehet in dem** Cicerone, *dicebat superioribus diebus* Vir, de Eloquentiæ studiis optimè meritus. *Et audite* Judicium I. Lipsii, in Epist. præsertim in ea ad Taubm. postrid. Kal. Decemb. cIↄ. Iↄc. II. Taubm. plaut. literat. miscellan. pag. mihi 1553. *Dii Deaq; ad unum* Ciceronem *nos componi! Rideat, aut indignetur ille, si vivat; & tot* Eloquentiæ *Decora, quæ post eum, vel cum eo fulserunt. Nugæ hominum, qui tentant latinè loqui aut scribere: qui promoverunt, & in Latii fines aut*

ævi veteris longiùs penetrârunt, tribus Anticyris ista damnent. Vel hinc patet, quàm ridiculi sint, & quantoperè peccent, qui unicum tantùm Ciceronem sibi imitandum proponunt, cùm perfectio ex multorum ingeniorum veluti temperie consurgat. Dicant & judicent, qui latinè modicè intelligunt, dicant, qui vel levem gustum habent politioris literaturæ. Atq; utinam Tullio ipso judice certare hanc litem possim! Certè multi Ciceronis elegantiam aspiciunt, & mirantur; intra pectus autem & linguam non admittunt. Ciceronem omnes laudant, Ciceronem omnes clamant, sed ore magis quàm ingenio. Multi, novimus, qui risum vix oppositionem merentur, manent in suis præceptiunculis. Hoc Exordium, hæc Propositio, hæc Narratio est, &c. Hic Tropus, hæc Allegoria, hæc Metaphora. Heus puer! unde desumpta? à rebus animatis, vel inanimatis? Ecquæ figura dictionis? Animula, vagula blandula: Prandia fer tecum, si vis comedere mecum: Si qua cupis cœnam, numerosam quære crumenam: Sed si non habes æs, miser es, & pinguia non es &c. Atq; tum præclarè censent Ciceronem se interpretatos, tum & Ciceronianos esse, sc! Sed transeant hæc cum aliis vanitatibus. Suum cuiq; pulchrum, sua cuivis sit, maneatve sentiendi libertas, & nemo nobis objiciat antiquitatis invidiam. Hic terminus studiorum est. Quicquid nec Ecclesiam ædificat, nec Reipublicæ salutem promovet, frustrà vel discitur, vel docetur. Quæ quidem licuit præfari, ad informandam juventutem, uti pernoscat, quid sit, quod veteres tantoperè & affectârint & habuerint; quove comitatu instructi Foro & Rei-publicæ tuto se commiserint & adversus omnem novercantis fortunæ impetum, immoti steterint. Videte, ô Iuvenes, ut exemplum hinc non tam capiatis, quàm aliis relinquatis!

Vt quemadmodum enim, qui esuriunt, magis irritantur, si aspiciant alios edentes: Ita, qui curriculum studiorum ingressi estis, ejus adipiscendæ cupiditate magis fervebitis, quotiescunq; tales viros, vel dignitatis splendore excellentes, famamq; suam, sat magnis documen-

tis, æternitati conſecrantes, recolueritis. Videor intueri ardorem veſtrum, qui id facturi ſitis, ut celebrem nominis famam, magnis conatibus ambiatis. Aut enim vehementer fallor, aut mentes veſtræ jam dudum excitatæ ſunt, ad hanc gloriam.

…es modo, Viri omnium ordinum honoratiſsimi, qui literaria hæc & neceſſaria & dulcia certamina, fauſtâ acclamatione applauſuq; dignari conſueviſtis, favete, quæſo, ſtudiis noſtris, iuventutiq́; porrò calcar addite, gratioſâ audientia veſtrâ, iis diebus, quos præſignabimus; declamabunt enim I. de Lycanthropis, ubi:

1. Juſtinus Vogelius, Seelbacenſis, *prolegomena, de λυκανθρώποις, quos beſtiarum formis indui vulgò ferũt, quæſtionesq́;, an & quid, ſint? explicat.*

2. Chriſtophorus Weller/Spirenſis, *Lycanthropiam planè fabuloſam, ſcriptorumq́; Metamorphoſes* Ethicè *accipiendas eſſe, diſſeret.*

3. Mauricius Wilhelmus à Gülchen/ Spirenſis, *Lycanthropiam, ex morbo, & judicij depravatione: vel atrâ bile, & pravæ imaginationis causâ; vel etiam Phantaſiâ, Satanæ præſtigiis faſcinatâ, credi pugnabit.*

4. Chriſtophorus Rumetſch/ Spirenſis, *pro Lycanthropia ſtabit, argumentis ùt plurimùm à documento ſenſus, & experientiâ ductis.*

5. Johann Emicho Entzelwein/ Türckheimenſis, *in forum prodibit, & ad judiciorum ſubſellia, quæ paſsim plena ſunt Λυκανθρώπων exemplis.*

6. Johannes Wilhelmi, Marpurgenſis Haſſus, *per exempla allata, propoſitam de Lycanthropia Metamorphoſin, etiam: iſtâ Magarũ in feles transmutatione illuſtrabit & confirmabit.*

7. Fridericus Andler / Tübingenſis, *Poëtas antiquos, non tantùm fabularum artifices, ſed hiſtoricos, decenti carminis compoſitione, pro hac ſententia ſtabiliendâ producet.*

8. Franciſcus Meyer/Spirenſis, *certis limitibus hanc pro Lycanthropia ſententiam conſtringet, modumq́; magicæ illius transmutationis vix explicabilem monſtrabit, adductis apertiſsimis effectis, ex ignotis & obſcuriſsimis cauſis.*

9. Chriſtophorus Elam/Danſtadienſis, *quod in hac metamorphoſi rationi conſentaneum videtur, veriſimiliter exponet.*

10. Iſrael Trautman /Landavienſis, *ex aliis nonnullis mirandis, tàm naturæ quàm peritorum artificum, & inprimis Dæmonum actionibus oſtendet, non usque quaq́; irrationabilem eſſe Lycaonum metamorphoſin.*

11. Andreas Ehrman/Spirenſis, *hanc materiam contexet, actionesq;*

Spire-

Spirituum, vel inciendis tempestatibus, & transportandis hominum corporibus, vel in excruciandis hominibus, per instrumenta varia, modo occulto corporibus immissa, tantò humanis admirabiliores dicet, quantò eorum major industria, & agendi potentia.

12. Fridericus Jung/Spirensis, *pro Lycanthropiæ concludet, sententiasq; contrarias breviter refutabit.*

II.

Iidem Juvenes, de quæstionibus, huic certamini immistis, indeq; fluentibus, eo quo positi sunt ordine, verba facient.

1. Nabuchodonosorem *non verè mutatum esse in bovem.*

2. *Uxorem* Lothi *in statuam salis esse conversam.*

3. *Verum neq;* Samuelem, *neq; Spiritum ejus à requie esse excitatum.*

4. Zoroastrem *inventorem artium* Magicarum, *à nativitate risisse, cùm potius more aliorum hominum flere debuisset.*

5. *Miracula vera non posse facere* Magos *& maleficos.*

6. Strygiportium, *quod per aëra fieri dicitur, nonnunquam verum, plerunq; verò imaginarium & phantasticum esse.*

7. *Quis sit* Zingarorum *quos Germanici* Zügeuner *vocant, origo & unde illi venient.*

8. Ignes, *quos vulgò* fatuos, *vel erraticos, germanicè* Irrwüsch *vocant, non esse spectrum Diaboli, sed naturali modo fieri.*

9. Purgationes innocentiæ, *apud veteres per duellum candens, ferrum & aquam, oleumve, ad indagandam veritatem inventas, hodiè illicitas, expressè abrogatas esse, & partim in desuetudinem abiisse.*

10. Purgationem aquæ frigidæ, *in præsumptionem malefica, illicitam esse.*

11. *An & cur sanguis fluat ex interfecti cadavere, præsente homicida?*

12. *Provocationem & citationem ad tribunal Dei licitam esse & efficaciam habere.*

III.

His ad umbilicum ductis, per antiqua retrò secula ibimus, resq; ab Origine Mundi ad Monarchiam secundam perlustrabimus:

I. *Genealogiam Mundi & hominis: atq; sic* 1. *creationis ordinem,* 2. *ho-*

minis structuram mirabilem, 3. *hominis conjugium*, 4. *hominis statum innocentiæ*, 5. *Paradysum*, 6. *Lapsum, ejusq; pœnam*, 7. *Adami filios*, 8. *Abelis pietatem & cædem*, 9. *Filiorum conjuges*, 10. *Caini impœnitentiam & posteritatem,&c.*

II. *Venerandum Patriarcharum antediluvianorum Collegium, quod* 1. *divinum*, 2. *ingeniosissimum*, 3. *vegetum*, 4. *longævum*, 5. *sapientissimum.*

III. *Diluvium,&* 1. *ejus occasionem*, 2. *caussas*, 3. *Noæ fidem & justitiam.* 4. *Dei decretum*, 5. *Noæ Arcam, ejusq; formam, capacitatem, conservationem*, 6. *mortem Mathusalæ, Noæq; ingressum*, 7. *diluvij incrementum*, 8. *Arcæ requiem, Noæq; egressum*, 9. *Iridem*, 10. *Noæ studia.*

IV. *Impietatem & posteritatem Chami, Confusionem Babylonicam, tristesq; effectus, atq; sic* 1. *Confusionem Linguarum*, 2. *Migrationes Gentium*, 3. *Distinctiones Imperiorum*, 4. *Turbelam variarum religionum.*

V. *Catalogum Monarcharum Babyloniorum & Assyriorum, in Dynastia nascente, sub potestate Patria.*

VI. *Catalogum Patriarcharum in eadem Dynastia ad Exitum Israëlitarum ex AEgypto.*

VII. *Catalogum Monarcharum, in Dynastia crescente, sub potestate Iudiciaria, ad casum* Sardanapalli.

VIII. *Catalogum* 16. *Iudicum, sub eâdem Dynastia, ad tempora Saulis.*

IX. *Catalogum Monarcharum, in Dynastia decrescente, sub potestate Regia, atq; sic divisionem Imperij, in Assyrios, Medos & Babylonios, usq; ad solutionem captivitatis Babylonicæ, & Monarch. Cyri, circa A. M.* 3419.

X. *Catalogum Regum Iudaicorum & Israëliticorum, atq; sic occasionem mutati regiminis, cujus Matres fuêre* 1. *Superbia*, 2. *Impietas profana*, 3. *Humana fiducia*, 4. *Stultitia temeraria*, 5. *Protervia.*

XI. *Catalogum Regum sub seculo aureo*, 1. *Saulis*, 2. *Davidis.* 3. *Salomonis, post quem scissio facta.*

XII. *Catalogum Regum, sub seculo ferreo, resq; ante & in capt. Babyl. gestas ad LXX. Hebd* Danielis.

Ut temporis ratio habeatur, totaque rerum concertatio, ante instantes Nundinas Francof. Pasch. finiatur; perorationis initium, cum bono Deo, facturi sumus, 5. Non Februar. Val. Dab. è Museo, Pr. Cal. Febr. 1647.

FINIS.